

uersæ Reipub. imperitabat, è medio at-
 que hominum ex oculis fugiens, nec in
 latebris tutus erat, nisi eas crebrò, & (vt
 ait Suetonius) propè per noctes singulas
 commutaret, seque ab inquisitoribus pe-
 cunia redimeret. Importuno morbo
 quartanæ præter cætera vexatus, sic cum
 amico suo ludebat eo tempore fortuna,
 dum inter xvi. & xx. ætatis annum a-
 geret, interuentu tandem virginum Ve-
 stalium, & clarissimorum virorum, qui
 eum affinitate, & persecutorem amicitia
 contingebant, vix veniam consecutus est.
 Cum enim Sulla preces eorum non ad-
 mitteret, atque illi ex aduerso obstinata
 importunitate precarentur, nec facturi
 finem viderentur, fessus exclamauit: Et
 vobis, hunc Cæsarem habetote, dum no-
 ueritis, hunc ipsum cuius salutem tanto
 studio procuratis, futurum quidem opti-
 matum, quorum vos mecum propugna-
 tores fuistis, & publicæ salutis euersorem:
 nam Cæsari multi insunt Marij. Idem
 Sulla optimates crebrò, sicut Suetonius
 refert, & nominatim Pompeium Ma-
 gnum, vt est in Saturnalibus, amicum &
 familiarem suum, tùm cum nihil omni-
 no formidabile videretur, admonuit: vt
Caueret